



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Quartius modus meditandi, de damnis Animæ, Corporis, & Fortunarum
Christi: ad præstandam gratitudinem beneficio Passionis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

I. Confid. quæ poenæ proposito sensui, Visûs, Auditûs, Tactûs, &c. Christi fuerint, illatæ.

II. Quantos dolores ex ejuscemodi poenis senserit idem sensus, tum propter Christi teneritudinem ac debilitatem: tum propter tortorum multitudinem, promptitudinem, impietatem, immanitatem: tum propter poenarum copiam, varietatem, durationem, continuitatem: tum denique propter absentiam omnis consolationis.

III. An non poenæ tales, & tanti ex poenis secuti dolores mereantur miserationem hominum: cum præsertim Christus & illas, & istos tulerit, ne ferre cogentur homines.

IV. Quomodo tu hætenus Christi poenas & dolores miseratus, & in posterum miseraturus sis.

IV. Modus meditandi de damnis anima, corporis, & fortunarum Christi: ad præstandam gratitudinem beneficio Passionis.

I. Perpende, qualia & quanta damna Christus perpeffus fuerit in anima, vel corpore, vel fortunis.

II. Qualia & quanta tum bona contulerit, tum mala sustulerit, non omnibus tantum, sed singulis etiam hominibus, talis ac tanta perpeffio Christi.

III. Quan-

III. Quanta incumbat necessitas simul omnibus & singulis hominibus, ut beneficijs tam eximijs gratos se exhibeant, recognoscendo, meditando, prædicando, & compensando illa mutuis tum operationibus, tum passionibus.

IV. An necessariam tu gratitudinem iisdem beneficijs retuleris hucusque, & quam in posterum relaturus sis.

V. *Modus meditando de septem itineribus Christi patientis: ad miranda Dei mirabilia.*

I. Considera, quæ Christus in proposito itinere sustinuerit incommoda.

II. Quàm conveniens talis sustinentia fuerit ad fines à Christo patiente intentos: nimirum ad cœlestis Patris gloriam, ad exaltationem Christi, ad Dæmonis subjectionem, ad Hominis illuminationem, inflammationem, corroborationem, cōsolationem, subventionem, erectionem ad ardua; denique ad vitam Christianam, quæ in cruce, paupertate, humilitate, contemptu consistit, excitationem.

III. Quàm porrò convenientia talis mira sit & miranda, non tam speculativè, quàm practicè; hoc est, consideranda, æstimanda, ac veneranda.

IV. An tu convenientiam talem Passionis cum istis finibus, hæctenus practicè mi-